bi confectus, nullis ſuperſtitibus maſculis, kalen. novembris ex humanis exceſſit; Viglevano cum decem aureorum millium proventu uxori ex teſtamento relicto. Eo defuncto, a Senatu Mediolanenſi Inſubrum gubernacula Antonio Levæ delata ſunt, cunctaque Chriſtiernæ viduæ nomine adminiſtrabantur, donec Cæſar de Ducis obitu certior factus, quænam ſua eſſet voluntas ſignificaret. Perculit Sfortiæ obitus vehementer Italos Principes, ac Venetos præcipue, quod ſuſceptos antea labores, atque immenſos prope ſumptus irritos fuiſſe, fruſtraque per tot annos armis certatum, ut Italus Princeps in imperio Mediolanenſi retineretur, animadverterent; ac tum animo præſentire videbantur, quanta inde rerum omnium perturbatio, quot clades luctuoſæ conſequuturæ eſſent; neque enim Italici generis, ad quem hereditario jure Inſubrum ditiones pervenirent, Princeps erat ullus. Joannes Paulus Sfortia, Franciſci defuncti haud ex legitimis nuptiis frater, Inſubrum imperium jure ſibi vendicare videbatur, quod tabulis, quibus a Maximiliano Imperatore patri illius tituli, atque inſignia Mediolanenſis imperii conceſſa fuerant, contineretur, ut, legitimis maſculis vita functis, illegitimi quoque ſuccederent. Atque ei non modo juriſconſultorum reſponſa favebant, ſed Mediolanenſes Sfortianæ familiæ addicti inſtaurari in eo priſtinum ſuorum Principum decus ſummis votis exoptabant. Verum has ſurgentes ſpes Joannis Pauli obitus corrupit. Ad Cæſarem enim proficiſcens, Florentiæ inter prandendum repentina morte correptus nonis decembris interiit.

1535 *Franciſci Sfortiæ obitus.*

Antonio Levæ Mediolanenſium adminiſtratio delata.

Joannis Pauli Sfortiæ in Mediolanenſem ducatum jura.

Joannis Pauli Sfortiæ obitus.

Cæſar, fato Franciſcum Sfortiam conceſſiſſe, Neapoli nuntio accepto, magnam inde capere moleſtiam præſetulit. Viduam neptem ad ſe proficiſci juſſam, omnibus grati animi ſignificationibus excepit. Senatui nihil magis curæ erat, quam ut Italiæ pax retineretur, neque ex Sfortiæ obitu novandarum rerum cauſæ inſurgerent; id vero eo potiſſimum obtineri, Inſubribus Duce dato, arbitrabatur: ſæpius Cæſarem ad pacem Italiæ conſervandam hortabatur: Principem titulis, atque inſignibus Mediolanenſis imperii decoraret, qui præſentis rerum ſtatus ſtudioſus, nihil communi otio, ac tranquillitati adverſum appeteret. Carolus nihil magis cupere, quam Italis Principibus, ac Venetis præſertim gratificari; quid

Veneti Cæſarem ad Ducem Mediolanenſē inſtituēdum hortantur.